



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 210. Salva te ipsum. v. 40.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Intelliget hæc quia nolet; & penetratio ista non est volentis neque currentis, sed spiritus tui miserentis & effudentis, quando & cui vult, formosissimam lucem & dulcissimam bonitatem suam. Bene autem est Domine ut privilegium hoc concedere soleas humilibus corde, quorum mens non est exaltata super se, nec in mirabilibus volunt ambulare.

O quoties & ego insipienter verba proximi mei, vel etiam Dei, male, torli ad affectus meos. vt hoc sonaret verbum eorum, quod erat votum meum & feci suffragium, quod erat meum arbitrium! Deus cui facile est in conspectu tuo, animam subito erudire & implere spiritu sublimissimi intellectus, quo simpliciter capiat recondita mysteria tua, da mihi affectum purgatum, tunc facile obtinebo intellectum illuminatum; ab illo enim potissimum oritur cæcitas huius.

§. 210. *Salva te ipsum. v. 40.*

Quasi dicerent Judæi: Nos dubitamus de te, hoc est, tua persona, qualis sis; de tua doctrina, quam prædicas; de tua sanctitate, quam insinuas; de tua potentia, quam dicis te habere; ideo si quam habes virtutem in te, vel divinam vel humanam, iam monstra in temetipso, & salva te, de cruce & manibus nostris libera te: eripe te è morte turpissima, qua clare condemnatus teneris, uti vides & sentis nobiscum. nam miracula tua, quæ ante hæc fecisti, nobis valde sunt suspecta, quia materia eorum nobis non fuit clara, & modus, quo illa facta sunt non fuit evidens, hinc omnia illa reputamus meras fraudes salvasti alios, ut dicis, te salvum fac, si potes. quod cum utique magis debeas, quam alios salvare, si id non facis imposturæ convinceris. His & similibus calumniis obruebantur delicatissimæ & purissimæ aures Christi, in tormentis extremis Crucis, in sui & patris omnipotentis, in cuius nomine miracula illa fecerat, contemptum. Sed oblitæ erant Judæi, nec intelligebant, quod prophético spiritu dixerat Caiphas Pontifex anni illius: *Expecte, ut unus homo moriatur, quam tota gens pereat*: & magis oblitæ erant promissionis factæ à Christo, quod uti Ioannes esset re verlusus è morte, quod occisus seipsum resuscitaturus esset & surrecturus. O Judæe, maius tibi debet signum, *Expecta solum in diem tertium. Hodie consummetur Christus, perendie confutabit te & respondebit tibi: Ecce salvavi me, Resurrexi à mortuis, Et hæc est causa, ô Judæi, cur Christus hic Nazareus Dei altissimi filius, se modo salvum facere noluit ut scilicet salvaret totam mundi gentem sua morte, & nihilominus in ipsa morte vos confutaret fortius, quam si clavi de manibus eius exiliissent.*

O Patientissime Iesu, ô mundi Redemptor, ego, ego sum unus è gente illa peccator miserrimus, pro qua perire vis, ut me perditum invenias,

nias, damnatum salves, mortuum resuscites. Quid retribuam tibi ô bone Jesu pro cunctis hisce & immensis beneficiis! quid enim est homo, quod adeo sitis salutem eius, tanta pateris pro redemptione illius, tantum laboras ad pertrahendum eum ad amorem tuum, quid delectare te potest homo perditus? ad quid utilis est peccator immundus? aut quod deniq; commodum expectas à vili ac misero vermiculo, quod ita apponas erga eum cor tuum! ô Deus verè Salvator noster!

§. 211. *Si filius Dei es descende nunc de cruce. v. 40.*

Agglomerant Judæi objectiones & molestias in tormentis acerbissimis crucis pessimi inimici Iesu ipsi liberi à dolore urgent in umbra mortis positum ad disputandum negantes eum esse filium Dei, quia pendet clavis per manus & pedes affixus.

O Judæi si vultis æquo iudicio contendere, pendete & vos è cruce & apparebit cito an ille, an vos sitis filii Dei. Ille tacens probat se esse filium Dei moribus, vos loquentes proditis vos esse filios Satanæ ille enim etiam nuper suadebat ei; *Mitte te deorsum*, sed repulsam passus est, uti & vos modo qui suadetis ei ut descendat è folio tuo, à quò debet regnare. Si ille folium sui Regni relinqueret, se Regem esse negaret, quia imposuistis iam Titulum Regium cruci, cuius locum deserere non debet, si sapit.

Domine Iesu Christe, Deus noster, regnans à ligno, gratias tibi ago, quod locum tuum, assignatum tibi à Patre, & à te ipso electum, & nobis salutarem non deseruisti, sed usque ad mortem retinuisti: nobis dando in ligno exemplum constantiæ, ne locum nostrum unquam deserere velimus. Adoro te, Regem Regum à ligno regnantem.

§. 212. *Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus dicebant. v. 41.*

Audientes princeps sacerdotum cum scribis & senioribus vulgus prophanum, iam amplius non credere hunc Christum esse filium Dei & Messiam, sed seductorem populi, recreati acclamant morituro simillima carmina, credo quod canticum fecerint ex tēpore more regionis suæ, ubi moriserat, ut periti cantores & cantatrices quasi spiritu fatidico afflati versus accinerent & cæteros choros agentes intercalari versu perpetuo instruebant quem populus præcinentibus carmen identidem tubiungebat. Tale carmen intercalare, credo fuisse quod populus accinuit versu 40. expressum; *Vah, qui destruis templum &c.* Sacerdotes vero & principes eorum cum scribis & senioribus, similem illi versum intercalarem accinuisse, de quo dicam: *nempe, Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere &c.*

Vere